QUESTIONES HOMERICAE

QUAESTIONES HOMERICAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE III. M. JULII A. MDCCCLXXV
H. L. Q. S.
PVBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS LEHMANN
BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
C. MICHAELIS, DR. PHIL.
C. ROTHE, STUD. PHIL.
E. SIEGFRIED, STUD. PHIL.

BEROLINI.
TYPIS GUSTAVI SCHADE (OTTO FRANCKE).
Linienstr. 158.

Homeri carmina ex se ipsis interpretanda et recensenda esse primus Aristarchus intellexit; qui quantam quamque admirabilem operam in illis tractandis posuerit, neminem fugiet, qui vel per transennam huius viri studia inspexerit. tamen diu latuit Aristarchi doctrina; quaecum arti philologae reddita esset, omnes viri doctiores consenserunt, sibi ab Aristarcho viam demonstratam esse, qua nobis propius ad veritatem accedere liceret poëtam istum tractantibus: itaque omnes, quorum studiis Homericis hodie fruimur, Aristarchum secuti hac ratione in Homeri carminibus versati sunt, ut et verba interpretantes et textum constituentes et rhapsodias genuinas quaerentes poëtam qualis nobis traditus est cogerent se ipsum et accusare et defendere. atque certe nunquam Homeri carmina explicare vel recensere vel restituere poterimus nisi ex ipso unoque Homero iudicia nostra rationesque hauriemus. nam et aequales nobis desunt poëtae, qui Homerum illustrare possint et Homeri verba ac sententiae adeo sui similia sunt, ut copia et materia qua in Homero tractando uti vel possumus vel debemus quasi sua sponte se nobis praebeat. hoc enim omnes consentiunt, sive complures aoedos sive unum vel duos poëtas sibi persuaserunt

ista carmina composuisse, et Iliadis et Odysseae rhapsodias, quoad genuinae sint habendae, unius cuiusdam aetatis nota signatas esse uniusque ferre artis speciem: artis illius epicae, quae et in verbis et in sententiis componendis mores sequatur antiquitus traditos diuque inveteratos. ac profecto nisi Homerus ipse nos doceret, iam diu ante se exstitisse, qui carmina epica componerent, ipse versus herous, ipsa verborum et sententiarum, qualis apud Homerum invenitur, ars nobis persuaderent, Homerum non primum fabulas contexuisse sed ex antiqua arte canendi aptum pendere illaque regi. quaecum ita sint, recte viri Homerici videntur Homero uni in carminibus eius tractandis auscultasse. eademque via mihi quoque progredi visum est studia in Homero mea ponenti; at antequam ea, quae istis studiis effecisse mihi videor, proferam, duobus exemplis explicabo, quae Homeri tractandi ratio mihi displiceat atque demonstrabo, cur mihi ista non probetur; fortasse enim ex illis apparebit, qua quis ratione saniore in carminum illorum studia incumbere debeat.

ARISTARCHUS

igitur reiecit lectionem, quam Zenodotus v. *B* 484 proposuit

ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες βαθύκολποι

ponendam pro eis verbis quae tradita sunt: *Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι* hanc ob causam, quod *βαθυκόλπους* Homerus barbaras tantum mulieres non Graecas nominaret. cf. schol. ad *B* 484. *Σ* 339. *Ω* 215. iam lectionem illam, quam Zenodotum nimis indulgentem suo

ingenio puto invenisse, non defendam; neque tamen Aristarchi causa, qua adductus est, ut Zenodoti lectionem repudiaret, mihi probatur, quamquam Lehrsio et Faesio (cf. Faesii adn. ad γ 154) probata est. nam primum quidem tria tantum exempla (Σ 122, 339. Ω 215) verbi quod est βαθύκολπος in Homeri carminibus inveniuntur. at si tesserarum prospero iactu ter frueris, num te putabis semper eadem fortuna gavisurum esse? minime quidem: contra si vicies tricies denique alea prospera uteris, tesseras ita fictas compositasque esse iudicabis, ut fieri non possit, ut res tibi mittenti male eveniat. non satis igitur iudicii ex illis tribus v. βαθύκολπος exemplis petere possumus, quo quid Homerus de hoc vocabulo senserit statuamus.

Praeterea v. βαθύκολπος ter quidem invenitur apud Homerum, at ter in Iliade neque usquam in Odyssea; iam vero et Aristarchum et Lehrsium et Faesium in quodvis pignus me vocare posse puto contendentem, Homerum in Iliade quotiescumque mulieres commemoret in quaternis versibus de barbaris loqui mulieribus, in quinto tantum quoque loco de Graecis. quaecum ita sint, quid mirum, quod tribus istis in versibus Homerus v. βαθύκολπος de feminis barbaris usurpavit?

Quaerendum denique puto fuisse Aristarcho vim istius vocis descripturo, quidnam interesset inter v. βαθύκολπος et v. βαθύζωνος: quem quaesivisse non tradunt scholia: nam si idem sonant haec vocabula, utrumque necesse est Homerum de eisdem feminis barbaris posuisse; sin vero dissimilia sunt, quaenam est

ista dissimilitudo, quae inter ea intercedat? Boeckhius igitur ad Pind. Ol. III v. 36 nihil interesse inter vb. *βαθύκολπος* et *βαθύζωνος* sibi persuasit: cuius iudicium neminem puto repudiaturum esse cogitantem, quomodo ista verba composita sint. neque a Boeckhii sententia abhorruit grammaticus quidam, cuius verba schol. Hom. ad *γ* 154 qui versus est:

κτήματά τ' ἐντιθέμεσθα βαθυζώνους τε γυναῖκας

nobis servavit. adnotata igitur sunt ad h. l. haec:

βαθυζώνους τε γυναῖκας. τοῖς γὰρ ὑποδύταις αἱ βάρβαροι γυναῖκες μέχρι βάθους ἐπισύρουσαι χρῶνται. eundem igitur sonum subiecerunt et grammaticus iste et Boeckhius vv. *βαθύζωνος* et *βαθύκολπος*; grammaticusque ex Aristarchi doctrina conclusit, neque *βαθύκολπος* neque *βαθύζωνος* de Graecis feminis ab Homero poni potuisse atque re vera v. *γ* 154 Nestorem barbaras feminas *βαθυζώνους* apparet nominare. tamen erravit scholasticus ille; neglexit enim alterum locum, quo v. *βαθύζωνος* invenitur, *I* 594[1]) scilicet, qui versus est:

---

[1]) quia neque ad h. v. Aristarchi ullum verbum neque in reliquis schol. ad Iliad. de verbo quod est *βαθύζωνος* invenitur, supra dixi, Aristarchum vv. *βαθύζωνος* et *βαθύκολπος* non comparasse; quis enim est, qui dubitet quin Aristarchus si ista verba comparasset ad *I* 594, *γ* 154 de v. *βαθύζωνος* vi expositurus aut si nihil inter verba ista dissimile invenisset, a sententia de v. *βαθύκολπος* statuta discessurus fuisset? quare suspicor, Aristarcheum quendam grammaticum magistri sui doctrina usum respexisse ad v. *βαθύζωνος*. et ille quidem viam logicam secutus est, at erravit, quia falsa erat propositio quam petivit ex Aristarchi horreis.

τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι βαθυζώνους τε γυναῖκας.
hoc vero versu Graecas mulieres notari inde apparet, quod Cleopatrae barbaras res afferre non licuit persuasurae marito, ut suam urbem Graecam servaret. iam vero, si *βαθύζωνοι* potuerunt Graecae feminae nominari, quidni eaedem *βαθύκολποι?* quae vocabula idem sonent.

Sed haec hactenus; restat, ut fructum ex eis quae dicta sunt capiamus. Aristarchus enim erravit, et quod ex paucis exemplis rationem quandam petivit, qua cum Homeri ingenium metiri vellet re vera non est mensus, sed coercuit et vinxit, et quod Homerum fecit hominem Graecum, qui posterorum modo barbaras gentes odisset. at neque in Homero talis superbia taleque barbarorum odium fuit quale in posteris neque ullum versum inveni, quo heroem quendam Graecum faciat Homerus Troum despicientem mores vel originem. *βάρβαροι* nusquam Troiani ab Homero nominati sunt, quamquam *βαρβαρόφωνοι* Cares v. *B* 867 nominantur (cf. Soph. El. 1002 *ὀρνίθων ἀκούω . . . κλάζοντας οἴστρῳ βεβαρβαρωμένῳ*) neque tamen ut mihi videtur cum vi despectus contemptionisque sono. idemque puto G. E. Lessingium virum illum omnium sapientissimum errasse, quod in libro qui Laocoon inscriptus est quandam diversitatem esse apud Homerum inter Graecos et Troes contendit. (de *Γ* v. 2 squ.) Faesium denique miror saepissime explicantem Homerum Graecorum partes sequi: at Homerus obiective ut ita dicam suas res narravit neque quod favere videtur rebus Graecorum ideo est putandus Troianos odisse; sed suo officio fungitur poëta,

quo suscepto res Graecas neque vero Troianas voluit describere.

Venio nunc ad alteram viri cuiusdam docti observationem, cui si similia inveneris (quae facile inveniri posse ex eis quae infra dicam apparebit) gravissima vulnera atque improbissima Homero poteris inferre.

LAUERUS

enim in eo libro qui inscriptus est die geschichte der Homerischen poësie p. 301 contendit v. γ 177 qui est

αἳ δὲ μάλ' ὦκα
ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον, ἐς δὲ Γεραιστόν
ἐννύχιαι κατάγοντο

esse delendum, quia vv. κέλευθος vel κέλευθα semper sint ab Homero in versuum finibus collocata. atque quadraginta fere exempla re vera habemus, quibus verbum illud versum concludat: arridet igitur quodam modo viri istius docti observatio: at a M. Sengebuschio in censura libri istius quae continetur Jahnii Annal. tom. 67. p. 249 reprehensa est, causis quidem non allatis, quibus Laueri observationis fundamentum everti posset, neque tamen iniuste.

Nam primum quidem nobis dubitantibus occurrit alter locus Λ 504 qui est

οὐδ' ἂν πω χάζοντο κελεύθου δῖοι Ἀχαιοί

in quo idem verbum non est positum in versus fine; quem versum affert quidem Lauerus, neque tamen tractat: at debuit tractare, si quidem nobis persuadere voluit, v. γ 177 esse delendum. tum quaerenda erat

causa atque ratio, cur Homero liberet v. *κέλευθος* nusquam mediis in versibus ponere: id quod maximum esse puto in talibus rebus observandis qualem Lauerus proposuit. cur enim v. *κέλευθος* vel *κέλευθα* ubique fere in versus fine est? an quia, id quod multis scio esse persuasum, vox ista est formula epica, quam servare et sequi Homerum notum est? at vocabulum est *κέλευθος* neque formula. an quia poëta illam vocem ornare voluit atque distinguere? minime quidem; sed quia Homerus verba amphibrevia (⏑ — ⏑) vel bacchiaca (⏑ — —) in versus fine amat collocare propter dulcem syllabarum cadentium sonum. Bekkerus igitur in sched. Homer. I. p. 148 hunc morem Homeri tractat numeratque inter 611 vv. rhaps. *Α* 270 vs., qui desinunt in trisyllabas voces, vss. 160, qui bisyllabum, vs. 97, qui quadrusyllabum, vss. 11 qui monosyllabum finem habent; similemque versuum condicionem invenit idem Bekkerus in rhaps. *Ι Σ ι δ ε*; ex eisque, quae ego collegi et computavi, haec addo: rhaps. *Ψ*, quae continet vss. 897, praebet 496 vss., quorum finis est amphibrevis vel bacchiacus; rhaps. *Ω* (804) 344, *α* (444) 196, *β* 434 (190), *γ* (497) 279, *ζ* (331) 150, *η* (347) 149, *θ* 586 (287). Homerus igitur amat valde exitum versuum amphibrevem vel bacchiacum; itaque formae trisyllabae v. *Ἀχαιός* (excepta igitur forma quae est *Ἀχαιοῖσιν*) per rhaps. *Α* in vs. 41 inveniuntur, non in fine versuum tantum septem. atque reliquarum Iliadis rhapsodiarum ratio quam inveni de v. *Ἀχαιός* formis trisyllabis haec est: *Β* 57: 12. *Γ* 30: 11. *Δ* 26: 10. *Ε* 16: 4. *Ζ* 15: 2. *Η* 31: 5. *Θ* 14: 2. *Ι* 27: 2. *Κ* 17: 2.

Λ 25: 3. *M* 26: 4. *N* 33: 2. *Ξ* 14: 4. *O* 30: 5. *Π* 19: 4. *P* 23: 4. *Σ* 13: 0. *T* 17: 3. *Y* 8: 4. *Φ* 6: 1. *X* 11: 0. *Ψ* 28: 1. *Ω* 22: 3[1]). aliorum vocabulorum amphibrevium vel bacchiacorum quae ex Dammii lexico inspexi haec est ratio: ἀμολγός 5: 0. ἄποινα 20: 2. ἀρήγω 12: 1. θαμειός 9: 0. ἀπήνη 11: 0. ἀγυιά 11: 1. quibus expositis non dubito, quin, si quem neque tempus defecerit et satis aequum animum in talibus rebus computandis servare potuerit, similem condicionem reliquarum etiam vocum Homericarum quae amphibreves vel bacchiacae sunt inventurus sit.

Finem facere possum horum calculorum; timeo enim, nequis mihi irascatur tales res computanti: unum vero addam. in rhaps. *Α* enim vss. 341 sunt, qui non habeant finem amphibrevem vel bacchiacum; ex his vero fere sexaginta tantum nobis occurrent legentibus, in quibus omnino inest vocabulum amphibreve vel bacchiacum, quod pro syllabarum ratione finem versus facere potuit: contra vss. 289 fere sunt, qui pro verborum quae in eis sunt mensura omnino finem quem dixi habere non potuerunt. quare et quae supra dixi computanti mihi et cogitanti, in quot versibus horum sexaginta poëtae licuerit non solum secundum syllabarum mensuram sed etiam secundum sententiarum rationem ac formam finem facere amphibrevem vel bacchiacum, mihi persuasi, Homero omnino versus in vocabula trisyllaba talia desinentes placuisse. deni-

---

[1]) secutus sum Dindorfii indicem quem vir ille doctus subiecit ed. Odyss. Teubnerianae.

que hoc etiam animadvertendum esse puto, istos versus, quorum finem v. κέλευθος non faciat, tamen in vocem amphibrevem vel bacchiacam desinere. sunt enim isti versus γ 177

ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον, ἐς δὲ Γεραιστόν et Λ 504: οὐδ' ἄν πω χάζοντο κελεύθου δῖοι Ἀχαιοί. cur igitur Lauerus ista verba in versus fine vult ponere Homerum? cui aliae voces quae eisdem syllabarum temporibus utantur promptae et paratae sunt.

Dixi de Lauero; nunc dicam de Lehrsii quadam observatione, quae ad eandem rem pertinet. Lachmannus enim in libro suo quem inscripsit betrachtungen über Homers Ilias postquam de duabus istis partibus, quae genuino rhaps. Α carmini subiectae essent, exposuit, similem Lauero quandam observationem attulit, quam C. Lehrsium secum communicasse dicit. p. 7 igitur haec Lachmanni verba leguntur: eine bemerkung, die mir hr. Lehrs mitgetheilt hat, kommt mir hier sehr zu statten, dass ἀπηύρων ἀπηύρα und ähnliches sich sonst nur am ende der verse finde. iam apparet, multo modestius Lachmannum agere quam Lauerum: neque enim a Lehrsii observatione profectus est, cum genuinam rhaps. Α partem quaereret, sed putavit, sententiam suam, quam de isto carmine exposuit, multis a partibus valde munitam hac quidem re adiuvari. tamen ex eis quae contra Lauerum attuli sequi puto ne Lehrsii quidem observationem istam, quamquam triginta fere quinque exemplis confirmari videtur, probandam[1]) esse, praesertim cum idem iste

[1]) Lachmanni vero verba quae sequuntur p. 7: aber die glei-

versus, cuius finem non tenet v. *ἀπηύρων,* tamen in vocem bacchiacam desinat; est enim vs. *A* 430: *τήν ῥα βίῃ ἀέκοντος ἀπηύρων. αὐτὰρ Ὀδυσσεύς* . . .

Omnino igitur, si talium rerum legem quandam scribere voles, neque cum Lehrsio pones:

Homerus formas v. *ἀπηύρα* sim. in versuum finibus posuit, neque cum Lauero:

Homerus formas v. *κέλευθος* trisyllabas in versuum finibus posuit: sed haec erit ista lex:

H o m e r u s n i s i s e n t e n t i a e f o r m a o b s t a t v e r s u s i n v e r b a a m p h i b r e v i a v e l b a c c h i a c a d e s i n e n t e s f i n g e r e s o l e t; at vereor ne illud quod dixi nisi — obstat ad certam quandam normam deducere non possis.

Quoniam igitur et Lehrsii et Laueri observationes satis tractatas esse putamus, restat, ut quaeramus, quanam re viri isti docti decepti sint; neglexisse enim mihi videntur, in talibus legibus quae sint in Homeri genere atque arte dicendi quaerendis imprimis rationem esse explicandam, unde ista lex orta sit quaque poëta adductus ista lege uti voluerit, utrum necessaria sit habenda necne, denique num quid poëtam impellere potuerit, ut istam legem, si quidem lex vera est, neglegeret.

Iam ad meas venio quaestiones: contra quas si quis talia, qualia ego contra Aristarchum et Lauerum et Lehrsium, afferet, mihi ipse irascar. tractabo autem

---

chen anfänge beider fortsetzungen sq. (nimirum vs. *A* 348 et 430) non tango neque reprehendo.

leges quae ad orationes apud Homerum quomodo poëta eas introduxerit et concluserit pertinent; alias quasdam observationes leviter attingam et quia vereor ne plurimis rebus opprimar et quia de multis quae mihi observasse videor nondum satis firme ac munite iudicare possum. officio vero meo ita fungar, ut et leges eas quas puto ab Homero servatas esse tractem atque unde ortae sint demonstrem et de eis versibus qui rumpere videntur leges Homericas quid iudicandum sit exponam; talem enim rationem in hisce rebus quaerendis sequendam esse mihi persuasi, ut eos versus qui contra Homeri morem faciant deleam, si argumentum ex alia re petitum accedit quo adducar ut versum istum spurium esse iudicem atque si intellegi potest, cur quis eum interponere voluerit; eos vero versus, quos cur iudicem exsecandos esse complura argumenta invenire non possum, aut partibus rhapsodiarum spuriis, quas Lachmannum et Kirchhoffium recte mihi statuisse persuasum sit, tribuo: id quod saepissime factum est: aut relinquo eis, qui Iliadem et Odysseam retractabunt spectandos. sunt denique versus aliquot, qui contra Homeri consuetudinem facere videntur neque vero faciunt; quos non neglegam, ne quis me neglegentem hominem esse dicat.

Sed de rationibus quas in tractandis Homeri carminibus puto esse servandas satis dictum est; ostendam nunc tribus capitibus, quid illas secutus cognoverim.

I.

Homerus orationes eis tantum verbis inducit, quibus vis loquendi vel sonandi subiecta est.

Homeri mos orationes inducendi facilius qualis sit intellegetur, si cum J. H. Vossio et Goethio comparabitur, quorum uterque Homeri ingenium exprimere voluit. J. H. Vossius igitur in carminis sui epici idyll. I hoc modo virginis verba affert:

oben begann tiefathmend das rosenwangige mägdlein: eodemque modo saepius a Vossio verbum quod est beginnen usurpatur ad orationes inducendas; neque diversam rationem Goethius est secutus qui in poëmatis sui epici p. I hoc versu matrem inducit loquentem:

freundlich begann sogleich die ungeduldige hausfrau: Homerus vero nusquam orationes allaturus usurpat v. ἄρχειν merum; ne potuit quidem usurpare, quia verbo ἄρχειν loquendi vis ac potestas non continetur; quare dicit Homerus ἦρχ' ἀγορεύειν (*A* 570 et saep.) vel μύθων ἦρχε (*B* 433 et saep.) vel sim. tum apud Vossium in idyll. I virginis oratio quaedam hoc etiam versu affertur:

neigte das blühende mädchen sich hold und lächelte schalkhaft: Homerus si quidem talem sententiam exprimere voluit non potuit non dicere καὶ προσέειπε γελῶσα vel sim. apud eundem Vossium legitur in idyll. III. carm. 2:

gegen ihn wandte sich jetzt die gefällige treue Susanna: Homerus vero debuit dicere προσέειπε τραπεῖσα vel sim. omnino poëtae nostri imprimis qui media quae

dicitur aetate cecinerunt asperius genus et praeceps dicendi secuti saepissime orationes nullo versu induxerunt. cf. Carm. Nibel. vss. 16, 84, 142, 156, 315, 1679, 1680, 1692, 1693.

Sed ut ad propositum revertar, Homeri mos orationes afferendi unde ortus sit facile intellegi potest; ex ipsa enim rei natura sequitur, ut si quem loquentem inducamus ipsi verbo loquendi utamur. quo si non utemur, nostrum ingenium sequemur neque vero rerum naturam. Homerus igitur naturalem legem servavit; tamen longum erat, omnia verba enumerare, quae poëta ad orationes afferendas adhibet; paucis id quod sentio explicabo.

Homerus cum ad orationes inducendas eis tantum verbis utatur, in quibus loquendi notio inest, coniungit cum eis verbis, quibus vis loquendi non est subiecta, aut participia aut infinitivos aut dativos aut genetivos eorum vocabulorum, quae loquendi potestatem habent; itaque efficit, ut verba coniuncta suae consuetudini satis faciant. unum iam attuli, *ἄρχειν ἀγορεύειν* et *ἄρχειν μύθων*; addo *γόοιο ἐξάρχειν* *Σ* 51. *Χ* 430. *Ψ* 17 saep. *κελευτιόωντε φοιτᾶν* *Μ* 265. *ἀνεγείρειν ἐπέεσσιν* *κ* 173. *καθάπτεσθαι ἐπέεσσιν* *Ο* 217. sunt autem multa verba, quae cum principio vim loquendi non habeant tamen procedente tempore sensimque secundo ut ita dicam loco notionem dicendi ceperunt; talia verba ab Homero et cum *μύθῳ ἐπέεσσιν* sim. coniunguntur et nuda ponuntur. velut *ἀμείβεσθαι* est principio mutare; secuta est potestas respondendi, quia ei qui colloquuntur vices orationis commutant. itaque invenitur apud Homerum

et *ἀμείβεσθαι* nudum et *ἀμείβεσθαι* coniunctum cum *ἐπέεσσιν*[1]); eandemque Homerus secutus rationem usurpavit:

et *ἐπιτέλλω* nudum *Δ* 301. *I* 252 saep. et *ἐπιτέλλω μῦθον* *A* 25. *Π* 199. et *ἐρύκω* *Ψ* 734 *ἐρυκάνω* *κ* 429 et *ἐρύκω ἐπέεσσιν* *κ* 422.

et *ἐνίπτω* *Ψ* 473. *τ* 65. *χ* 212 et *ἐνίπτω μύθῳ* *B* 245. *Γ* 427 et *νεικεῖν* *E* 471. *Φ* 470 et *νεικεῖν μύθῳ* *B* 224. *χ* 225.

et *ὀτρύνω* *O* 560. 568. *P* 582. *Φ* 530 et *ὀτρύνω ἐπέεσσιν* *Γ* 429. *κ* 546.

Sed finem faciam enumerandi; his enim expositis sequitur, ut ad tres locos veniam perlustrandos qui non videntur Homeri quam exposui consuetudini respondere. primum vero tractabo Hom. Odyss. rhaps.

o vv. 44 et 45

ex quo loco profectus in meam quaestionem deductus sum. Homerus enim narrat Telemachum a Minerva monitum ut rediret e somno excitasse Pisistratum Nestoris filium hisce verbis, quae quomodo nunc ab editoribus ponuntur repeto:

αὐτὰρ ὃ Νεστορίδην ἐξ ἡδέος ὕπνου ἔγειρεν v. 44.
[*λὰξ ποδὶ κινήσας καί μιν πρὸς μῦθον ἔειπεν*·] v. 45.
ἔγρεο, Νεστορίδη Πεισίστρατε . . . .

equidem cum primum legi hosce versus, quaedam desiderari sensi atque re vera vs. 45 in omnibus codicibus invenitur, sed a Bekkero, Dindorfio, Faesio, Ari-

---

[1]) abundantem autem Homeri orationem saepius *μύθοισιν* sim. ad verba addentis ubi non desiderantur hic non tango.

starchum sequentibus deletus est; unus ni fallor Kirchhoffius eum retinuit: qua de re postea exponam. iam Aristarchi verba afferunt schol. cod. *H* et Vind. 133 ad *ο* 45 et cod. *A* ad *K* 157; schol. vero *ο* 45 haec verba exhibent: *νοθεύεται ὡς διαπεπλασμένος ἐξ ἡμιστιχίου τῆς K Ἰλιάδος· ἐκεῖ γὰρ προσηκόντως Νέστωρ κοιμώμενον Διομήδην ἀνίστησι, κύψαι*[1]) *κατοκνήσας διὰ τὸ γῆρας.* nimirum *K* 157 legitur:

τὸν παρστὰς ἀνέγειρε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ
λὰξ ποδὶ κινήσας ὤτρυνέ τε νείκεσέ τε ἄντην·
ἔγρεο, Τυδέος υἱέ . . .

ad *K* vero vs. 157 habet schol.: *ὁ ἀστερίσκος, ὅτι ἐντεῦθεν εἰς τὴν Ὀδύσσειαν μετάκειται ἐπὶ τοῦ Πεισιστράτου* (fort. inserendum *ἐπὶ τοῦ*) *κλινιδίου καθεύδοντος παρὰ Μενελάῳ. πρὸς τί οὖν ποδὶ, ἀλλ' οὐχὶ τῇ χειρί; νῦν μὲν γὰρ εἰκότως ἐπὶ τῆς γῆς κοιμώμενον οὕτως ἐγείρει.*

Sequitur ut quaeramus, rectene Aristarchus iudicaverit de vs. *ο* 45 necne. atque illud quidem constat, Aristarchum saepius versus quosdam deleri iubentem Homerum laesisse (cf. Lehrs de Arist. p. 342; exemplique causa affero schol. *A* 29—31) imprimis quod repetiti apud Homerum versus ei mirum quantum displicebant: id quod nunc nemini puto probatum esse. quare ipsa verba v. *ο* 45 rectene se habeant perlu-

---

[1]) Dindorfius in append. ad tom. II schol. Odyss. p. 791 dicit ad p. 606, 8: *κύψαι*] scribendum *τύψαι*. contendo etiamsi *τύψαι* re vera sit in cod., *κύψαι* tamen recte positum esse. ceterum post *προσηκόντως* fortasse *οὕτως*, ante *κοιμώμενον* vero *ἐπὶ τῆς γῆς* erit inserendum ex schol. *K* 157.

stranda sunt. neque re vera deerant, qui hunc versum defendendum susciperent contra Aristarchum ipsum puto dicentes; nam schol. Q ad vs. *ο* 45 haec verba exhibet: *λὰξ ποδὶ κινήσας] πρεπόντως ὁ μὲν ὑπὸ ἐκπλήξεως ἐπειγόμενος οὔτε τὸν καιρὸν οὔτε τὸ πρέπον θεωρεῖ. ἐφίστησι δὲ αὐτὸν εἰς ταῦτα ὁ Πεισίστρατος,* i. e. Pisistratus eum admonet, nondum tempus esse surgendi atque proficiscendi. utracunque denique sententia sive Aristarchi sive scholiastae illius ignoti placebit, equidem nego, istum versum omnino abesse posse; nam neque verbo quod est *ἐγείρειν* notio loquendi principio subiecta est neque hoc loco habet significationem inflammandi vel cohortandi: ergo non potuit illud verbum poëta usurpare h. l. ad Telemachi orationem afferendam. eandemque ob causam habes *κ* 173

ἀνέγειρα δ' ἑταίρους
μειλιχίοις ἐπέεσσι παρασταδὸν ἄνδρα ἕκαστον.

coniunctum igitur illo loco est *ἀνεγείρειν* cum *ἐπέεσσιν* secundum Homeri consuetudinem. iam vero res a Kirchhoffio videtur in luce clarissima posita esse; qui in libro quem inscripsit die homerische Odyssee und ihre entstehung praef. p. 12 dicit vs. *ο* 1—74 interpositos esse. atque causas quidem, quibus adductus Kirchhoffius hosce versus omnes exsecandos esse dicat, tractare longum est: illud tamen nolo neglegere, in hac rhaps. *ο*. parte versus nonnullos esse, quos vereor ne difficilius sit explicare; velut *ο* vs. 4—7 habes:

εὗρε δὲ Τηλέμαχον καὶ Νέστορος ἀγλαὸν υἱόν
εὕδοντ' ἐν προδόμῳ Μενελάου κυδαλίμοιο,

ἤ τοι Νεστορίδην μαλακῷ δεδμημένον ὕπνῳ,
Τηλέμαχον δ' οὐχ ὕπνος ἔχε γλυκύς . . .

hosce versus simili loco qui est *Α* 611 et *Β* 2 explicari notum est; tamen vereor, ne si vulgarem explicationem sequaris efficias, ut caecum versum claudus sustineat. cf. tamen quae Bonitzius de ll. dicit in libro quem inscripsit über den ursprung der Homerischen gedichte p. 60 squ. tum v. 57 *ἀγχίμολον* mihi videtur prave dictum esse; denique vereor, ne iudicio non sano v. 56 ex *μ* 142 repetitus sit; *αὐτίκα* enim illud mihi displicet.

Deinceps de vs.

Μ 342

dicendum est, qui versus contra Homeri consuetudinem repugnare videtur. Menestheus enim, cum videat Sarpedonem et Glaucum suam turrim aggredientes, Thootae imperat ut ab Aiace salutem petat; poëtaque narrat:

αἶψα δ' ἐπ' Αἴαντα προΐει κήρυκα Θοώτην·
ἔρχεο, δῖε Θοῶτα, θέων Αἴαντα κάλεσσον . . . .

verbo illo quod est *προϊέναι* vim loquendi contineri omnes negabunt; itaque cecinit Homerus *Α* 25:

ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλεν.

quid igitur iudicabimus de vs. *Μ* 342? an poëtam suum morem neglexisse dicemus? minime quidem; nam ad *προΐει* additum est *κ ή ρ υ κ α Θοώτην:* ex illo igitur verbo quod est *κήρυκα* apparet, Menestheum misisse Thootam mittentemque illi res quasdam mandasse nuntiandas. simili igitur ratione Homerus dicit *Θ* 397 squ.:

Ζεὺς δὲ πατὴρ Ἴδηθεν ἐπεὶ ἴδε, χώσατ' ἄρ' αἰνῶς

Ἶριν δ' ὤτρυνε χρυσόπτερον ἀγγελέουσαν·
βάσκ' ἴθι, Ἶρι ταχεῖα, πάλιν τρέπε ....

rem denique clarissimam reddit et *Λ* 652 et *Λ* 715; priore enim loco Homerus Patroclum facit dicentem

νῦν δὲ ἔπος ἐρέων πάλιν ἄγγελος εἶμ' Ἀχιλῆι;

Nestor vero narrat *Λ* 715 (= *Σ* 167)

ἄμμι δ' Ἀθήνη
ἄγγελος ἦλθε θέουσ' ἀπ' Ὀλύμπου θωρήσσεσθαι.

Restat denique ut versum qui est

K 476

tractemus, qui locus mihi difficillimus videtur esse. Rhesum enim monstrat Diomedi Ulixes, cuius verba Homerus hoc modo affert:

τὸν δ' Ὀδυσεὺς προπάροιθε ἰδὼν Διομήδεϊ δεῖξεν·
οὗτός τοι, Διόμηδες, ἀνήρ, οὗτοι δέ τοι ἵπποι....

verbo *δεικνύναι* ne vis loquendi non sit subiecta valde vereor; nam quod legitur *I* 224 (cf. *I* 196. *σ* 111. *ν* 57)

πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δείδεκτ' Ἀχιλῆα

afferre non licet ad *K* 476 explicandum: ibi enim *δείδεκτο* est „er begrüsste ihn mit dem becher.“ quare vs. *K* 476 in medio relinquo; illud tamen commemoro, rhaps. *K* tam refertam esse et singularibus et miris rebus, ut si quis talia colligere velit perspicere ostendere possit, quantum distet haec rhaps. a reliquis Iliadis carminibus; atque singularem ego et miram etiam hanc orationis inducendae rationem habendam esse puto. quae si habebitur, nihil inde afferri potest contra morem quem exposui orationes afferendi Homericum et plurimis exemplis munitum neque ab ingenio poëtae abhorrentem.

II.

Verba ea, quibus orationes inducuntur, Homerus repetit, si duobus vel tribus squ. versibus ab ipsa oratione separantur.

Ingenii humani natura fert, ut si quae graviora levioribus nonnullis interrumpuntur, priora illa repetantur, ne tota ac summa sententia obscuretur; id quod et in vulgari sermone et apud poëtas scriptoresque Graecos Latinosque et nostros saepissime invenitur. audivimus nonnunquam nostros homines hoc modo narrantes; als ich zu ihm kam — ich war aber lange nicht bei ihm gewesen, weil . . . — als ich also zu ihm kam, da . . . id igitur quod gravissimum est, ne levioribus rebus interruptum obscuretur, repetitur. iam idem mos saepius nobis occurrit scriptorum libros legentibus; velut apud Cic. de fin. l. IV. cap. 14. p. 38 legitur: ut si cultura vitium, cuius hoc munus est ut efficiat ut vitis cum omnibus partibus suis quam optime se habeat — sed sic intellegamus . . . .: si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera credo . . . .; repetitur igitur a Cicerone prior sententiae pars leviter mutata, ne ei qui legant quae res agatur obliviscantur. cf. etiam de fin. l. III. c. 13. p. 43 et Madvici adn. verb. ad h. l. tali igitur modo repetitas sententias scriptores praebent omnes, saepissime vero poëtae, qui carmina componant non ut legantur sed ut recitentur et audiantur; nam verba scripta manent neque oculos effugere possunt, recitata vero verba abeunt atque conticescunt simulatque recitata sunt neque iterum auribus

percipi possunt. ideoque multa exempla inveniuntur verborum repetitorum in tragoediis (Soph. El. 783—6. Antig. 1039—43. Oed. Tyr. 267—9. Trach. 158—9. 287—9. 296—306. 431—3. 1194—7. 1233—5 ed. Schneidewin.) et in comoediis (cf. Lorentii adn. ad Plauti Most. v. 139), plurima vero apud Homerum, quippe qui non modo carmina composuerit ut recitarentur neve legerentur sed etiam omnino ignarus fuerit scribendi artis. itaque haec leguntur apud Homerum vs. *E* 76—9:

Εὐρύπυλος δ' Ἀνδραιμονίδης Ὑψήνορα δῖον
υἱὸν ὑπερθύμου Δολοπίονος, ὅς ῥα Σκαμάνδρου
ἀρητὴρ ἐτέτυκτο, θεὸς δ' ὣς τίετο δήμῳ,
τὸν μὲν ἄρ' Εὐρύπυλος ... μεταδρομάδην ἔλασ' ὦμον.

eademque in rhaps. vs. 533—37 leguntur

ἦ καὶ ἀκόντισε δουρὶ, θοῶς βάλε δὲ πρόμον ἄνδρα
Αἰνείω ἕταρον μεγαθύμου Δηϊκόωντος
Περγασίδην, ὃν Τρῶες ὁμῶς Πριάμοιο τέκεσσιν
τῖον, ἐπεὶ θεὸς ἔσκε μετὰ πρώτοισι μάχεσθαι,
τόν ῥα κατ' ἀσπίδα δουρὶ βάλε κρείων Ἀγαμέμνων.

eodem denique modo verba interrupta repetit Homerus *Δ* 432—6. 482—8. *E* 136—43. 522—27. *Z* 131—39. *Z* 394—98. *H* 208—11. *I* 128—131 = *I* 270—73. 437—44. *Λ* 20—3. 67—70. 122—26. 299—304. 305—309. 324—26. *M* 294—8. 299—307. 433—436. *N* 170—77.

Expositis eis, quae in universum ad sententias repetitas attinent, demonstrandum est, qua ratione Ho-

merus eos versus repetat, quos ad orationes afferendas adhibeat. Homerus enim cecinit *B* 790—795:

ἀγχοῦ δ' ἱσταμένη προσέφη πόδας ὠκέα Ἶρις· v. 790
εἴσατο δὲ φθογγὴν υἷι Πριάμοιο Πολίτῃ
ὃς Τρώων σκοπὸς ἷζε ποδωκείῃσι πεποιθώς
τύμβῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ Αἰσυήταο γέροντος
δέγμενος ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί·
τῷ μιν ἐεισαμένη προσέφη πόδας ὠκέα Ἶρις v. 795.

v. 790 igitur sequuntur quattuor versus, quibus ab ipsa Iridis oratione separatus est; itaque ne istis quattuor versibns v. 790 obscuretur aut oblivione obruatur, repetitur levitur mutatus v. 795. alterum exemplum exscribam, quod est *Θ* 493—6:

ἐξ ἵππου δ' ἀποβάντες ἐπὶ χθόνα μῦθον ἄκουον v. 492
τόν ῥ' Ἕκτωρ ἀγόρευε διίφιλος· ἐν δ' ἄρα χειρί
ἔγχος ἔχ' ἑνδεκάπηχυ· πάροιθε δὲ λάμπετο δουρός
αἰχμὴ χαλκείη, περὶ δὲ χρύσεος θέε πόρκης·
τῷ ὅγ' ἐρεισάμενος ἔπεα Τρώεσσι μετηύδα v. 493.

verbum *ἀγόρευε* quod est vs. 493 potuit orationem quae sequitur inducere; tamen cum verbi illius vis fracta sit versibus qui sequuntur, poëta iterum posuit vs. 496 ad orationem Hectoris inferendam. eademque repetendi ratione Homerus est usus hisce versibus, quos iam enumerabo: neque vereor, ne quem locum qui ad hanc rem attineat neglexerim: *B* 790. *Γ* 386. *Θ* 493. *Λ* 603. *N* 90. 480. *O* 280. 545. *P* 215. 323. *Σ* 249. 316. *Y* 79. *X* 34. *α* 28. *β* 15. 157. *ζ* 21. *η* 155. 233. *π* 394. *σ* 321. *ω* 422.

Omnes vero isti versus ut repeterentur eam quam attuli causam neque vero poëtae copiam verborum effe-

cisse et inde apparet, quod versus posterior nusquam particulis quae sunt *καὶ τὲ* sim. cum prioribus verbis coniungitur et ex eo mihi videtur posse cognosci, quod Homerus versum, quo orationes inducit, non repetit nisi duobus aut tribus squ. versibus ab oratione quae sequitur seiunctus est: ita, ut uno versu separatus ab oratione non repetatur. leguntur igitur vs. *Α* 35 squ. haec:

πολλὰ δ' ἔπειτ' ἀπάνευθε κιὼν ἠρᾶθ' ὁ γεραιός v. 35
Ἀπόλλωνι ἄνακτι, τὸν ἠΰκομος τέκε Λητώ·
κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας ....

vs. 35, quo quae sequuntur preces senis nuntiantur, post v. 36 non repetitur eisdem similibusve verbis, quia istius versus vis non est fracta neque obruta. neque repetuntur vs. *Α* 15. 320. 572. *Δ* 173. 176. 301. 356. *Ζ* 76. *Η* 94. 277 (sunt tales versus fere triginta quinque), qui uno versu ab orationibus quas inducunt seiuncti sunt. duo vero exempla sunt quae contra ea quae modo exposui repugnant aut videntur repugnare *Β* 221. *ω* 451; de quibus locis intellego mihi quid sentiam dicendum esse, ne quis mihi obiciat me temerariam sequi Homeri tractandi rationem. atque

Β 221

de Thersite narrat Homerus:

τῷ γὰρ νεικείεσκε· τότ' αὖτ' Ἀγαμέμνονι δίῳ v. 221
ὀξέα κεκληγὼς λέγ' ὀνείδεα. τῷ δ' ἄρ' Ἀχαιοί
ἐκπάγλως κοτέοντο νεμέσσηθέν τ' ἐνὶ θυμῷ.
αὐτὰρ ὁ μακρὰ βοῶν Ἀγαμέμνονι νείκεε μύθῳ·
Ἀτρεΐδη, τέο δ' αὖτ' ἐπιμέμφεαι ἠδὲ χατίζεις; ....

Naegelsbachius enim ad h. l. verba adnotat haec: es ist aber mit dem ὀξέα κεκληγώς die folgende rede gemeint, wie das τότ' αὖτ', jetzt hingegen, beweist. quod si recte exposuisset vir ille doctus, Homerus repeteret v. 222 verbis quae sunt v. 224; quamquam prior iste versus uno v. 223 ab oratione Thersitae disiunctus esset, si v. 224 abesset. at vereor ne Naegelsbachius falso Homeri verba explicaverit; nam cur dicat, verba quae sint τότ' αὖτ' demonstrare, verbis v. 222 λέγ' ὀνείδεα sequentia Thersitae verba appellari, equidem causam non intellego; accedit, quod v. 224 inutilis videbitur esse, si Naegelsbachii sententiam secuti vs. 222 contendemus esse orationem Thersitae ipsam significatam; nam iste versus tum neque obscuratus erit neque vis eius fracta, ita ut non fuerit, cur v. 224 repeteretur. quibus ego causis adducor, ut hoc modo mihi iste versus videatur interpretandus esse: Achilli et Agamemnoni conviciari Thersites solebat antea; tum vero, cum Achilles armis depositis pugnam recusabat, Agamemnoni uni semper male dicebat; Achaeique ei succensebant; tamen ille neglecta Achaeorum ira hoc modo latravit. atque hac ratione mihi Homeri verba explicanti videor neque a sensu vero aberrasse neque sententiam contrariam quae intercedit inter τῷ νεικείεσκε atque τότ' αὖτ' — λέγ' ὀνείδεα neglexisse. alter vero locus qui est

ω 451

profecto pugnat cum eis quae supra dixi; puto vero istum locum vinci posse. hi sunt enim versus:

τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε γέρων ἥρως Ἁλιθέρσης v. 451
Μαστορίδης· ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω·
ὅ σφιν ἐῢ φρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν·

v. 453 verbum *μετέειπεν* repetit prius idem verbum v. 451. at Aristarchus extremam Odysseae partem ab Homeri ingenio abhorrere contendit neque esse opinor, qui Aristarchi sententiam repudiet. accedit vero, quod imprimis hi versus sunt petiti ex β 157 squ. et Σ 250. cf. J. Bekkeri adn. ad h. l.

Sed iam ad institutum revertar meum. atque illud quidem puto me recte affirmasse, Homerum verba orationes nuntiantia repetere, si ab sequentibus sint orationibus duobus vel tribus squ. versibus separata. tamen nondum mihi quiescere licet; sunt enim quidam versus, quos ab orationibus suis diremptos duobus versibus non repetit poëta; eis igitur locis, quos infra afferam, haec quam exposui Homeri consuetudo neglecta est neque tamen ita, ut ista consuetudo quomodo sit neglecta explicari non possit. nam exposui ante, Homerum verba orationes inducentia repetere ac renovare si prioris verbi vis obscurata sit. quibus igitur locis ista verborum talium vis non est fracta? eis re vera, quibus ei versus duo, qui intersunt inter orationem ipsam atque verbum quo oratio inducitur, non suam habent propriam vim atque constructionem, sed verbo orationem afferenti se adiungunt atque applicant: omnino igitur, ubi non sententia principali ac prima, qua qui audiant ab ea re quae agitur abducantur, sed participio vel sententia relativa sim. verbum ab oratione quam nuntiat separatur. sed quid sentiam me-

lius cognoscetur, si duobus exemplis verba quae supra posui probavero. legitur enim

vs. *β* 399

αὐτὰρ Τηλέμαχον προσέφη γλαυκῶπις Ἀθήνη v. 399
ἐκπροκαλεσσαμένη μεγάρων εὖ ναιεταόντων
Μέντορι εἰδομένη ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν·
Τηλέμαχ', ἤδη μέντοι ἐϋκνήμιδες ἑταῖροι ....

verbum *προσέφη* duobus versibus ab oratione quae sequitur seiunctum est neque tamen repetiit Homerus. cur igitur poëtae non placuit istius verbi vim renovaturo hunc fere versum subicere v. 401:

τῷ μιν ἐεισαμένη προσέφη γλαυκῶπις Ἀθήνη.?

re vera puto ideo, quod vis verbi quod est *προσέφη* sequentibus participiis non est fracta; nam participia illa quae sunt *ἐκπροκαλεσσαμένη* et *εἰσαμένη* cum unam atque liberam sententiam nunquam efficere possint, cum v. *προσέφη* coniuncta sunt ex eoque pendent, ideoque fit, ut v. *προσέφη* etiam sequentes versus regat, quibus non obscuratur. eodemque usus iudicio intactos reliqui vv. *P* 555. 582, de quo loco p. 32 nonnulla dicam, *ϑ* 474. *ϱ* 342. ne versus quidem illos stringam qui sunt *ξ* 459 = *o* 304; utroque enim loco haec leguntur:

v. 459, 304.

τοῖς δ' Ὀδυσεὺς μετέειπε συβώτεω πειρητίζων,
εἴ πώς οἱ ἐκδὺς χλαῖναν πόροι ἤ τιν' ἑταίρων
ἄλλον ἐποτρύνειεν, ἐπεί ἑο κήδετο λίην·
κέκλυθι νῦν, Εὔμαιε καὶ ἄλλοι πάντες ἑταῖροι ....

ne hos quidem versus igitur reprehendo: nam quamquam verbum *μετέειπε* v. 459 (*o* 304) duobus versibus

ab ipsis Ulixis verbis separatur, tamen non conficitur neque obscuratur versibus qui sunt 460 et 61 (*ο* 305 et 306); nam ab illo *μετέειπε* pendet *πειρητίζων*, ab hoc vero verbo interrogatio indirecta: itaque omnia verba quae vs. 460 et 61 (*ο* 305 et 6) continentur ad illud *μετέειπε* respiciunt neque cum respiciant vim istius verbi frangunt.

Exposita igitur Homeri consuetudine verba orationes afferentia repetendi ac renovandi deinceps ei loci tractandi videntur esse, qui cum ista poëtae consuetudine pugnant. atque primum quidem

vs. *E* 784

legitur:

ἔνθα στᾶσ' ἤϋσε θεὰ λευκώλενος Ἥρη v. 784
Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ
ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα·
αἰδώς, Ἀργεῖοι, κάκ' ἐλέγχεα, εἶδος ἀγητοί ....

verbum enim quod est *ἤϋσε* v. 784 duobus a Junonis oratione versibus diremptum est neque tamen renovavit poëta; at vs. 786 de Stentore neque de Junone agitur: quare puto me cum Hauptio facere posse, qui in additam. ad Lachmanni librum adiectis p. 107 squ. rhaps. *E* vs. 711—92 spurios esse mihi videtur demonstrasse.

Idemque gaudeo mihi Aristarchi doctrina frui licere tractanti

vs. *δ* 660 squ.

qui sunt:

τοῖσιν δ' Ἀντίνοος προσέφη Εὐπείθεος υἱός 660 v.
ἀχνύμενος· μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι

πίμπλαντ᾽, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην·
ὢ πόποι, ἦ μέγα ἔργον ὑπερφιάλως ἐτελέσθη .....

Aristarchus enim intellexit vs. 661 et 62 ex *A* vs. 103 et 4 esse depromptos; cf. schol. ad hh. ll. quoniamque Aristarchi doctrinae obsecuti qui Homerum ediderunt istos versus deleverunt, rem actam agere nolo.

Venio nunc ad versus tres tractandos, qui leguntur

vs. 75 *γ* squ.

ibi enim Homerus Telemachum inducit ex Nestore quaerentem quid Ulixe patre factum sit hisce verbis:

τὸν δ᾽ αὖ Τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα 75
θαρσήσας· αὐτὴ γὰρ ἐνὶ φρεσὶ θάρσος Ἀθήνη 76
θῆχ᾽, ἵνα μιν περὶ πατρὸς ἀποιχομένοιο ἔροιτο
ἠδ᾽ ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχῃσιν·
ὦ Νέστορ Νηληϊάδη, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν ....

vs. 78 qui idem invenitur *α* 95 editores deleverunt neque inest in compluribus cod. cf. Bekk. adn. crit.; at ne vs. 76. 77 quidem mihi videntur genuinam notam atque integram habere. nam Telemachus domum reliquit, ut de absente patre Nestorem interrogaret; iam adest neque vero interrogare audet: nimia igitur mihi videtur animi anxietas Telemacho tribui ab eo quicumque istos versus composuit; nam neque molles neque muliebres sunt Homeri heroes. quare puto vs. 76 et 77 a rhapsodo[1]) quodam interpositos esse Telemachum timidiorem fingente.

---

[1]) rhapsodum dixi, qui plerosque versus spurios a rhapsodis putem interpositos esse: illi enim aoedorum carmina recitaverunt.

Firmiore vero iudicio mihi videor uti posse de versibus qui leguntur

ν 253 squ.

Ulixes enim ex eis quae Minerva dixit se in patriam revertisse cognovit; iam eum poëta narrat se suumque nomen celasse deam hisce versibus:

καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα· v. 253
οὐδ' ὅγ' ἀληθέα εἶπε, πάλιν δ' ὅγε λάζετο μῦθον
αἰεὶ ἐνὶ στήθεσσι νόον πολυκερδέα νωμῶν·
πυνθανόμην Ἰθάκης γε καὶ ἐν Κρήτῃ εὐρείῃ ....

vs. 253 non est renovatus quamquam duobus versibus ab oratione Ulixis seiungitur; abhorret igitur locus ab Homeri ratione. tum verba quae v. 254 sunt *πάλιν δ' ὅγε λάζετο μῦθον* mihi valde displicent neque ea puto cuiquam placere; aliena enim videntur esse a perspicuo Homeri genere dicendi. nam Faesius quidem hoc modo verba illa explicat: er nahm das wort, das ihm schon auf der zunge schwebte, zurück; fac vero poëtam talia quaedam sonare verba sua voluisse (quem equidem voluisse concedo Faesio): nonne apparet, eum summam sententiae „das ihm schon auf der zunge schwebte" suppressisse atque celasse? Homerum tamen omittere talia potuisse mihi non persuadetur. neque satis faciunt mihi schol. quae ad h. l. haec verba exhibent: *εἰς τὸ ἐναντίον ἔστρεφεν H. εἰς τοὐναντίον τοῦ ἀληθοῦς, ὅ ἐστιν, ἐκ δευτέρου δὲ τὸν λόγον ἀνελάβετο* V.: nam *πάλιν* apud Homerum non sonat idem quod *ἐναντίον*; ceterum schol. V. etiam Faesii sententiam exprimere videtur. accedit denique quod eadem verba leguntur vs. *Δ* 357, qui est

ὣς γνῷ χωομένοιο· πάλιν δ' ὅγε λάζετο μῦθον,
quo loco illa aptissime posita esse quis est qui neget? quibus de causis suspicor, vs. 254 esse delendum; quem interpositum esse puto, ut verba v. 255 *αἰεὶ — νόον πολυκερδέα νωμῶν* atqne ipsa quae sequuntur Ulixis verba illustrarentur dolusque viri explicaretur: cum omisso v. 254 omnia sint plana atque perspicua.

Reliquum est, ut de duobus locis difficillimis qui sunt *N* 215 et *T* 404 pauca dicamus. atque

N 215

quidem hi versus leguntur:

τὸν δὲ προσέφη κρείων ἐνοσίχθων v. 215
εἰσάμενος φθογγὴν Ἀνδραίμονος υἷι Θόαντι
ὃς πάσῃ Πλευρῶνι καὶ αἰπεινῇ Καλυδῶνι
Αἰτωλοῖσιν ἄνασσε, θεὸς δ' ὣς τίετο δήμῳ·
Ἰδομενεῦ, Κρητῶν βουληφόρε, ποῦ τοι ἀπειλαί .....

verbum quod est *προσέφη* tribus versibus ab oratione Neptuni quae sequitur diremptum est; accedit quod vs. 216 et 17 neque ex v. *προσέφη* pendent et de Thoante non de Neptuno verba sunt. quare hosce versus claudicare et haerere sensi, cum hunc locum legi ab eisque profectus sum in quaestionem quam proposui instituendam. atque ecce tibi ingeniorum concentus consensusque: idem atque ego senserunt qui cod. Vindob. Alteri scripserunt aut qui horum codicum archetypum exaravit; cod. enim Vindob. vs. 218 subiciunt hunc versum:

τῷ μιν ἐεισάμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα vel
τῷ μιν ἐεισάμενος προσέφη κρείων (*κρατερὸς*) *ἐνοσίχθων.*

iam quaerendum est quid de hoc versu iudicandum sit, utrum eum inter vs. 218 et 19 interponi iubeamus necne, quanta denique auctoritas ei videatur tribuenda esse. tamen Spitznerum ante consulamus. atque is quidem ad h. l.: inepte, inquit, submittit Vind. Alteri hunc versum. ineptene? cur tandem inepte? esse hunc versum aliunde arreptum contendit Spitznerus. itane? at quo argumento demonstraturus erat Spitznerus hunc versum esse aliunde arreptum neque vero alterum versum esse ex hoc loco petitum? nullo puto argumento demonstrare potuit. an Spitznerus omnes versus inepte positos esse contendit qui apud Homerum repetiti invenirentnr praeter unum? iam pergit idem vir doctus: spuria autem eius origo vel eo indicatur, quod libri quattuor clausulam attexunt e vs. 215 petitam: *προσέφη κρείων ἐνοσίχθων* (*κρατερὸς ἐνοσίχθων* cf. Bekkeri adn. crit.). at id quidem vitium librarii oculis errantibus fortasse tribuendum erit. itaque puto Spitznerum non recte de hoc versu iudicasse. neque vero me fugit, librarios ex suis ingeniis verba ista addidisse; at neque ex eo, quod idem versus aliis etiam locis invenitur neque quod diversam habent clausulam libri Vindob. quattuor versum istum repudiandum esse puto: sed illud mihi unum persuadet, versum esse spurium, quod in reliquis cod. optimis non invenitur. ceterum non inepte librarii hunc versum interposuerunt, sed adducti sensu fortasse obscuro, sed lepido et urbano. atque hoc quidem loco ea dicam, quae supra p. 31 me allaturum esse de *P* vs. 584 promisi; etiam istis enim versibus subiecta haec verba sunt:

τῷ μιν ἐεισάμενος προσέφη ἑκάεργος Ἀπόλλων.
tamen cum absit hic versus a cod. Veneto, spurius habendus erit; neque illum desiderari fortasse ex eis quae supra dixi apparebit: quamquam ne eum quidem versum puto inepte a librariis interpositum esse.

Sed redeo ad locum de quo agitur tractandum; quoniam enim cod. Vind. parum auctoritatis habent, intellego mihi alia ratione utendum esse qua de hisce versibus iudicem. atque repeto Faesii verba adnotantis haec: *πάσῃ Πλευρῶνι* scheint wegen des beigefügten *πάσῃ* eigentliches object zu *ἄνασσε* zu sein, dagegen *αἰπεινῇ Καλυδῶνι* ortsbestimmung neben dem zweiten object *Αἰτωλοῖσι,* welchem entsprechend auch im ersten gliede *Κουρῆσι* ohne *πάσῃ* angesetzt sein könnte. Faesius igitur hoc modo poëtae verba construi iubet: *ὅς πάσῃ Πλευρῶνι καὶ Αἰτωλοῖσιν* [*ἐν*] *αἰπεινῇ Καλυδῶνι ἄνασσεν.* atque equidem vereor, ut quis Faesii rationem verba illa coniungendi sequatur; difficilis enim mihi videtur esse atque contorta: neque vero puto negari posse recte Faesium illud *πάσῃ* notasse; accedit quod tres illi dativi nudi mihi displicent. quare fortasse vs. 217 et 18 erunt delendi, praesertim cum saepius ad nomen quoddam proprium versus aliquot qui hominem istum ornarent atque distinguerent additos esse notum sit. cff. vs. *ι* 531. *λ* 343. *σ* 413.

Alter denique locus quem restare dixi ut inspiceretur est

T 404

quo loco hi versus leguntur:

v. 404

τὸν δ' ἄρ' ὑπὸ ζυγόφι προσέφη πόδας αἰόλος ἵππος
Ξάνθος, ἄφαρ δ' ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δὲ χαίτη
ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν οὖδας ἵκανεν·
αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη
καὶ λίην σ' ἔτι νῦν γε σαώσομεν, ὄβριμ' Ἀχιλλεῦ ....

atque hic quidem profiteor, me nihil certi afferre posse; nam cur vs. 405—7 delendos esse censeam equidem non habeo. istud vero praeterire nolo, mihi equum illum loquentem displicere; nam talia miracula abhorrere puto ab Homeri sinceritate. narrat enim Homerus saepe miracula, at ita narrat, ut se miras res afferre dicat; hoc vero loco Xanthus equorum modum excedit, loquitur: neque Achilles horret, sed placide essedum conscendit. qua de causa puto totum locum esse rhapsodis tribuendum.

Potui finem facere huius capitis; at cum Homero non nullos versus eripuerim vel eripiendos esse censeam, damnum intellego mihi compensandum esse; itapue vulnera duo sanabo, quae mihi persuasum est Homero per iniuriam illata esse. Bekkerus enim Lachmanno p. 81 suadente delevit vs.

Λ 605—7

quem non puto recte versus illos Lachmanno oboedientem delevisse. nam versus de quibus agitur hi sunt:

αἶψα δ' ἑταῖρον ἑὸν Πατροκλῆα προσέειπεν v. 602
φθεγξάμενος παρὰ νηός· ὃ δὲ κλισίηθεν ἀκούσας
ἔκμολεν ἶσος Ἄρηϊ, κακοῦ δ' ἄρα οἱ πέλεν ἀρχή.
[τὸν πρότερος προσέειπε Μενοιτίου ἄλκιμος υἱός·
τίπτε με κικλήσκεις, Ἀχιλεῦ; τί δέ σε χρεὼ ἐμεῖο;

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς]
δῖε Μενοιτιάδη, τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ ....

versus igitur 605. 606. 607 Bekkerus ex exempli sui oratione eiecit neque obscurum est quibus causis vir ille omnium doctissimus adductus sit, ut versus istos deleret; displicuit enim Lachmanno et Bekkero, quod, cum verbo quod est *προσέειπε* v. 602 Achillis oratio nuntietur, Patrocli verba v. 605 et 606 intercedunt. at vereor, ut satis firma sit ista causa, qua probari possit, vs. 605. 606. 607 esse exsecandos: nam saepius puto fieri apud Homerum ut poëta ingenio fervente nimis celeriter festinet festinansque repetere quaedam omissa cogatur; id quod hoc loco factum est. tamen quidquid de hisce versibus iudicatur, illud apparet, versibus illis deletis orationem ferri non posse; nam vs. 602 *προσέφη* apud Bekkerum duobus versibus qui sunt 603 et 604 ab oratione Achillis diremptum est neque repetitur; neque vero licet nobis recentes afferre difficultates veteres si quidem sunt deleturis.

Alteram denique mihi videtur Homero iniuriam facere Lachmannus; is enim p. 49 libri sui clarissimi nos iubet

vs. *N* 92 et 93

exsecare; versus vero hi sunt:

ἀλλ' ἐνοσίχθων v. 89
ῥεῖα μετεισάμενος κρατερὰς ὤτρυνε φάλαγγας·
Τεῦκρον ἔπι πρῶτον καὶ Λήϊτον ἦλθε κελεύων
[Πηνελέων θ' ἥρωα Θόαντά τε Δηΐπυρόν τε
Μηριόνην τε καὶ Ἀντίλοχον μήστωρας ἀϋτῆς·]

τοὺς ὅγ' ἐποτρύνων ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
αἰδώς, Ἀργεῖοι, κοῦροι νέοι· ὔμμιν ἔγωγε ....

iam nolo quaerere, utrum Lachmannus recte iudicaverit Thoantem Deipyrum, Merionem Antilochum inepte hoc loco commemoratos esse necne; neque enim fieri posset, quin tota Lachmanni sententia quam de rhaps. *Λ—Ο* proposuit inspicienda esset. illud vero mihi videor contendere posse, hac quidem in re aut Lachmanno omnino oboediendum non esse aut si Lachmannus vincat non solum vs. 92 et 93 esse delendos, sed etiam vs. 94. neque enim, si vs. 92 et 93 delebimus, quidquam aliud efficiemus, quam ut vs. 94 claudo pede sequatur, quia vs. 91 verbum quod est *κελεύων* repeteretur vs. 94 verbo quod est *προσηύδα:* id quod neque necessarium esse neque concedi posse Homero apparet ex eis, quae hoc per caput disputavi.

III.

Homerus ad finitas orationes respicit ad easdemque respicientia verba ponit.

Hoc quoque in capite Germanis utar exemplis quibus qualis sit Homeri mos ab orationibus ad ipsa facta transeuntis narranda describam. J. H. Vossius igitur in carmine suo epico idyll. I hosce habet versus:

blickte zum buschigen ufer Luis' hinhorchend und sagte:
„still! es tönte mir dumpf wie ein ruderschlag von dem ufer.“

aber der muthige Karl, der voran lief, wandte sich
rufend.

Vossius igitur nullo verbo orationem quae antecessit notavit; Homerus vero ubique orationibus heroum confectis subiecit verba ad illas spectantia velut *ὣς ἔφατο, ὣς φάτο, ὣς ἄρ' ἔφη, ὣς εἰπὼν, ὣς φάσαν, ὣς ἄρ' ἔφαν, ὣς ἄρα φωνήσας, ἦ,* sim.

Neque profecto mihi quidem obscurum videtur esse, cur Homerus ad orationes confectas verba quaedam pertinentia posuerit; poëta enim sive quem narrantem sive praecipientem sive mandantem fecerat, verborum quae facta erant summam comprehendit uno duobusve verbis: itaque effecit, ut, cum orationibus istis imprimisque longis factorum contextus diremptus esse videretur, commodis verbis ad res gestas gerendasve transire posset. neque vero unius orationis Homero comprehendendi summam mos fuit; eandem potius fuisse puto causam, cur poëta comparationi confectae verbum quod est *ὥς* subiceret; velut *Δ* 433—6 leguntur hi versus:

Τρῶες δ', ὥστ' ὄϊες πολυπάμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ
μυρίαι ἑστήκασιν ἀμελγόμεναι γάλα λευκόν
ἀζηχὲς μεμακυῖαι, ἀκούουσαι ὄπα ἀρνων,
ὣς Τρώων ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει.

verbo igitur isto *ὥς* summam prioris partis comparatae comprehendit Homerus; illo enim verbo posito commode et perspicue posteriorem partem comparationis narrare potuit. similes denique sunt hi loci Soph. El. 73. Aj. 762. 766. El. 761. 696. Oed. Col. 62. cf. G. Hermann adnotata verba ad Aesch. Pers. vs. 508.

Sed in rebus clarissimis mihi videor longus esse; quare perspecta ratione qua Homerus ad istum morem perductus sit, nonnulla dicam de huius moris generibus quibusdam. quibus perfectis eos enumerabo locos, qui contra Homerum faciunt.

Primum igitur Homerus si quosdam colloquentes facit respondentis hominis orationem hoc versu inducit:

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη *Α* 84. 130. 215. 285. 560. *Β* 369.

vel *τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα* *Α* 121. 172. 413. 544. 551. *Γ* 199. *Δ* 50.

vel *τὸν δ' αὖτε προσέειπε* *Α* 206. *Γ* 58. *Ε* 179. 229. *Ζ* 332. 440.

vel *τὸν δ' ἄρ' [ὑπόδρα ἰδὼν] προσέφη* *Α* 148. 364. 517. *Δ* 30. 183.

non gravia sunt ista verba quae ad orationes antecedentes respiciunt: rapide enim currere solent orationes duorum qui colloquuntur hominum sese excipientium: tamen etiam in istis verbis apparet vim quandam inesse, quae priorem orationem notat.

Tum saepissime fit, ut colloquio confecto Homerus non ad postremam orationem solam sed ad omnes quae antecesserunt orationes respiciat. vs. *Α* 304 igitur finitis Achillis verbis Homerus hunc versum subicit:

ὣς τώγ' ἀντιβίοισι μαχησαμένω ἐπέεσσιν — ἀνστήτην...

versus igitur iste non solum Achillis sed etiam Agamemnonis verba significat atque comprehendit: neque tamen postrema Achillis oratio neglegitur, sed idem versus illam notat. eandemque secutus rationem Ho-

merus finitis colloquiis suas res narrare incipit ab hisce verbis:

ὣς οἳ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγάρευον *E* 273. 431. *H* 464.

ὣς ἄρα φωνήσαντε ω 361. ὣς ἄρα φωνήσαντες *E* 239. *Z* 232.

ὣς εἰπόντε *K* 254.

Alio deinde sui moris Homerus genere utitur eis locis quibus duae orationes tam artis societatis vinculis coniunctae atque copulatae sunt, ut quasi unam orationem efficiant. ibi enim post priorem orationem verba quae istam notent omittuntur, posteriori vero subiciuntur verba talia, ut utriusque orationis summam comprehendant. velut in rhaps. *Δ* vs. 220—250 narrat Homerus Agamemnonem Achaeos inflammaturum diligentes quidem laudasse (vs. 232—39), pigros vero vituperasse (vs. 240—49); utraque igitur oratione dux Graecorum idem efficere voluit, ut et pigros et diligentes omnes in pugnam incitaret. iam narrat poëta inde a vs. 232 usque ad vs. 239:

v. 232

καί ῥ' οὓς μὲν σπεύδοντας ἴδοι Δαναῶν ταχυπώλων
τοὺς μάλα θαρσύνεσκε παριστάμενος ἐπέεσσιν·
Ἀργεῖοι, μήπω τι μεθίετε θούριδος ἀλκῆς·
οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδέσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός . . .

usque ad vs. 239. pigros contra Achaeos Agamemnon increpat vs. 240—49:

οὕστινας αὖ μεθιέντας ἴδοι στυγεροῦ πολέμοιο
τοὺς μάλα νεικείεσκε χολωτοῖσιν ἐπέεσσιν·

Ἀργεῖοι ἰόμωροι, ἐλεγχέες, οὔ νυ σέβεσθε;
τίφθ' οὕτως ἔστητε τεθηπότες ἠΰτε νεβροί . . . .

usque ad vs. 249. priori igitur Agamemnonis orationi Homerus neque *ὣς ἔφατο* neque *ὣς ἄρ' ἔφη* neque similia subicit, at vs. 250 pergit:

ὣς ὅγε κοιρανέων ἐπεπωλεῖτο στίχας ἀνδρῶν.

illud vero *κοιρανεῖν* et *ἐπιπωλεῖσθαι* et ad industrios et ad lentos Achaeos quos excitavit aut laudavit Agamemnon pertinet. atque eadem rerum condicio ac natura invenietur in loco qui est *B* 183—207; is enim constat ex vs. qui sunt 183—187, 188—197, 198—206, 207. non eadem neque vero dissimilis condicio est in hisce locis: *K* 274—296, qui locus constat ex vs. 274—76, 277—82, 283—94, 295—96. *P* 414—423 = 414—419, 420—22, 423. *β* 323—337; is enim compositus est ex vs. 323, 324—330, 331—36, 337. *υ* 235—240, qui locus constat ex vs. 235—37, 238—39, 240 (cf. tamen Kirchhoff. in priore libro p. 93). *φ* 199—205; versus sunt compositi ex vs. 199—202, 203—4, 205 (cf. *Υ* 318, *Φ* 377, *Ψ* 161, *η* 167); denique similis est *φ* 396—404, qui locus continet vs. 396—400, 401—403, 405. in posterioribus enim illis locis non idem homo utramque facit orationem, sed duo: at utraque oratione eadem res tractatur atque agitur. velut *K* 274—76 Ulixes et Diomedes ardeam audiunt, quam dexteram misit Minerva; itaque Ulixes precatur vs. 277—282 deam, ut se et Troianis nocentem et revertentem adiuvet poëtaque narrat haec:

χαῖρε δὲ τῷ ὄρνιθ' Ὀδυσεύς, ἠρᾶτο δ' Ἀθήνῃ v. 277

κλῦθί μευ, αἰγιόχοιο Διὸς τέκος, ἥτε μοι αἰεὶ ....
usque ad vs. 282. pergitque poëta vs. 283 squ.:

δεύτερος αὖτ' ἠρᾶτο βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης·
κέκλυθι νῦν καὶ ἐμεῖο, Διὸς τέκος Ἀτρυτώνη .... vs. 294.

Ulixis igitur ad orationem nullum addit verbum Homerus, quod ad istam pertineat; at confectae Diomedis orationi subiciuntur vs. 295 et 296 haec verba:

ὣς ἔφαν εὐχόμενοι, τῶν δ' ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη.
οἳ δ' ἐπεὶ ἠρήσαντο Διὸς κούρῃ μεγάλοιο ....

utriusque igitur et Ulixis et Diomedis orationis summam comprehendit poëta: quae orationes quam arte inter se cohaereant et apparet ex eo, quod ex eadem re profectae in eandem rem spectant et quod Homerus ipse preces istorum continuatas coniunctasque esse significavit vs. 278 *κλῦθί μευ, αἰγιόχοιο Διὸς τέκος* et vs. 284 *κέκλυθι νῦν καὶ ἐμεῖο, Διὸς τέκος ....* atque verbis quae sunt vs. 283: *δεύτερος αὖτ' ἠρᾶτο ....*

Tum nonnulla exempla sunt quibus mos iste quem exposui Homeri videtur neglectus esse; at omnia tria talia sunt, ut neglegentiam illam facile excuses atque defendas. Homerus enim interdum facit heroes et verba quae alii dixerunt commemorantes (velut *Ι* 253—258. *Λ* 786—789; tamen quae Ulixes narrat in Odyss. inde a rhaps. *ι* usque ad rhaps. *μ* huc non spectant) et divinantes, alios verba quaedam dicturos esse, quae ipsi afferunt. velut Agamemnonem narrat poëta *Δ* 176—181 haec verba dixisse:

καί κέ τις ὧδ' ἐρέει Τρώων ὑπερηνορεόντων
τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο·

αἴθ' οὕτως ἐπὶ πᾶσι χόλον τελέσει' Ἀγαμέμνων,

ὡς καὶ νῦν ἄλλον στρατὸν ἤγαγεν ἐνθάδ' Ἀχαιῶν ....

eademque ratione dicta sunt verba vs. *Z* 459—61, *ζ* 275—284, *φ* 324—28. atque re vera his locis omnibus verba inveniuntur ad praecedentem orationem respicientia. cff. *I* 259. *Λ* 790. *ὣς ἐπέτελλε Λ* 182. *Z* 46 *ὣς ποτέ τις ἐρέει ζ* 285. *φ* 329 *ὣς ἐρέουσιν.* at tribus locis qui sunt *H* 302. *M* 322. *π* 295 verba quae spectare solent ad orationes quae antecedunt omittuntur neque ponuntur: nimirum quia non solum fictae et compositae istae orationes (*H* 301—2. *M* 318—21. *π* 288—294), sed etiam ne divinatae quidem sunt; et Hector enim in *H* rhaps. et Sarpedon in *M* et Ulixes in *π* volunt tantum efficere ut talia verba fiant qualia ipsi afferant; neque tamen narrant ista verba facta esse neque ea coniciunt unquam factum iri, quia utrum quis talia verba dicturus sit necne incertissimum est.

Deinde iubeo prodire duos versus, qui ab Homeri more abhorrent; tales vero sunt, ut eos audeam defendere. rhaps. enim

π vs. 337

poëta narrat, praeconem Telemachi reditum nuntiasse hisce versibus:

κῆρυξ μέν ῥα μέσῃσι μετὰ δμωῇσιν ἔειπε·

Πηνελοπείῃ δ' εἶπε συβώτης ἄγχι παραστὰς ....

poteram de hoc loco iudicans ad Kirchhoffium provocare, qui prior. libr. p. 273 totum istum locum qui est *π* 322—452 delevit. cf. eiusd. libr. praef. p. XII. n. 18. 19. 22. tamen id ne faciam suadet alter locus qui est *X* 498.

Hecuba enim Astyanacta orbatum miseratur his verbis:

τὸν δὲ καὶ ἀμφιθαλὴς ἐκ δαιτύος ἐστυφέλιξεν 496 vs.
χερσὶν πεπληγὼς καὶ ὀνειδείοισιν ἐνίσσων·
'ἔρρ' οὕτως· οὐ σός γε πατὴρ μεταδαίνυται ἡμῖν.'
δακρυόεις δέ τ' ἄνεισι πάϊς ἐς μητέρα χήρην.

etiam hoc loco apparet verba quae solent poni omissa esse. tamen equidem dubito vs. π 337 et X 498 reprehendere. cogito enim, cur Homerus verba ad orationes quae antecedunt respicientia posuerit; quod supra dixi factum esse, ut orationis summa uno verbo comprehenderetur comprehensaque commode cum rebus gestis quas narrat poëta coniungeretur. quod si recte dixi, eas orationes, quae tantam vim non habeant, ut res cohaerentes turbent, non erat opus verbis assuetis comprehendi: itaque cum et π 337 et X 498 oratio utraque unum versum teneat neque longior sit quam ut res quas poëta narrat obscurare possit, nolo duos istos versus vituperare; quamquam Homeri consuetudo non neglegitur vs. Σ 182. 392. Y 429. Φ 509. Ψ 707. 753. 769. Ω 88, qui versus orationem efficiunt. cf. Lachmanni libri p. 81.

Atque eum etiam versum defendo, qui legitur

χ 200.

Eumaeus enim Melanthium vinctum illudit vs. 195—99; confectis vero Eumaei verbis subiciuntur vs. 200 et 201:

ὣς ὁ μὲν αὖθι λέλειπτο ταθεὶς ὀλοῷ ἐπὶ δεσμῷ·
τὼ δ' ἐς τεύχεα δύντε, θύρην ἐπιθέντε φαεινήν ....

nam illud *ὣς*, quamquam dicendi vim non habet, tamen Eumaei verba notat atque comprehendit; similibusque exemplis duobus confirmatur, vs. A 22 et 92.

De duobus denique versibus pauca dicam, de quibus antea me falso iudicasse intellexi. Arete enim λ 335—41 Phaeaces hortatur, ut Ulixem dimittant donatum; cui Echeneus respondet

vs. λ 342

τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε γέρων ἥρως Ἐχένηος vs. 342
[ὃς δὴ Φαιήκων ἀνδρῶν προγενέστερος ἦεν]·
ὦ φίλοι, οὐ μὰν ἡμὶν ἀπὸ σκοποῦ οὐδ' ἀπὸ δόξης . . .

verba igitur ista quae vs. 342 posita sunt, *τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε*, non satis mihi visa sunt Aretae orationem notare atque comprehendere; tamen cogitanti Echeneum statim reginae respondere neque versus alienos interesse inter Aretae et Echenei orationes mihi persuasum est, locum istum sanum esse; quem tribuendum esse eis exemplis puto, quae supra p. 38 contuli: quibus eius qui in colloquio respondet oratio inducitur meris verbis hisce:

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη . . . .

similibusque. eademque cogitatione usus non tango alterum locum qui est

σ 405.

ibi enim procorum Ulixi iratorum verba sequuntur versus hi:

τοῖσι δὲ καὶ μετέειφ' ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο·
δαιμόνιοι, μαίνεσθε καὶ οὐκέτι κεύθετε θυμῷ . . . .

utrumque igitur locum sic defendo, ut et Aretae Echeneique et procorum Telemachique verba colloquio rapidius fluente tam arte coniuncta esse dicam, ut prioris orationis summam comprehendi non sit opus. tertium

denique locum similem non Homerus quidem, qui traditus est, at Lachmanni Homerus restitutus affert qui est

vs. *B* 336.

Lachmannus enim p. 12 squ. contendit mihique persuasit, vs. *B* 278—332 esse delendos; quod si verum est, apparet neque virum illum doctissimum effugit, aut vs. 265—77 aut vs. 333—35 eodem cultro exsecandos esse. atque Lachmannus quidem priori sententiae se favere dixit, neque vero ita, ut eum, qui posteriorem sententiam sequeretur, vituperaret. itaque si posteriore Lachmanni ratione probata vs. 278—332 et 333—35 delebis, hoc modo versus poëtae ut sibi succedant efficies: vs. 265—69 Thersites punitur, vs. 270—77 milites Ulixem laudant Thersitamque vituperant; militumque verba sequitur vs. 336

τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ·
ὢ πόποι, ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγοράασθε . . .

eadem igitur ratione militum oratio concluditur Nestorisque inducitur qua *λ* 392 Aretae Echeneique, *σ* 405 procorum Telemachique oratio.

Jam possum ad ea venire exempla tractanda, de quibus accuratius mihi videtur disputandum esse; sed ante peto, ut mihi liceat ea verba orationes quae antecedunt notantia afferre quae raro aut semel apud Homerum inveniuntur. sunt vero haec:

A 22 *ἔνθα*. *A* 92 *καὶ τότε δὴ* *B* 207 *ὣς ὅγε κοιρανέων*. *Δ* 310 *ὣς ὁ γέρων ὤτρυνε*. *H* 161 *ὣς νείκεσσ' ὁ γέρων* *K* 540. *οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος* (= *π* 11. 351). *Λ* 411 *εἷος ὃ ταῦθ' ὥρμαινε* (= *ε* 365. 424). *Λ* 790

ὥς ἐπέτελλε. *M* 277 ὥς τώγε προβοῶντε. *N* 126 ὥς ῥα κελευτιόων. *O* 405 τὸν μὲν ἄρ' ὥς εἰπόντα. *Π* 502 ὥς ἄρα μιν εἰπόντα (= *Π* 855. *X* 361. ε 313). *X* 318 αὐτὰρ ἐπεὶ τόγ' ἄκουσα (= *Φ* 377. *Ψ* 161. η 167. ϑ 143. 446. ν 159. ο 92). *Φ* 64 ὥς ὥρμαινε μένων (= *X* 131). *Φ* 361 φῆ. γ 62 ὥς ἄρ' ἔπειτ' ἠρᾶτο. δ 76 τοῦ δ' ἀγορεύοντος. ε 474 ὥς ἄρα οἱ φρονέοντι λ 81 νῶι μὲν ὥς ἐπέεσσιν ἀμειβόμεϑ' (= λ 225. 465). μ 165 ἤτοι ἐγὼ τὰ ἕκαστα λέγων ἑτάροισι πίφαυσκον. σ 32 ὥς οἳ μὲν .... ὀκριόωντο. τ 203 = χ 31 ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων. χ 200 ὥς.

Sed satis puto me dixisse, ut fundamenta huius quaestionis iacerem; nam trita afferre longum est, quae omnibus pateant. quare nunc singula ita ut supra dixi tractabo. neglectus enim esse mos Homeri aliquot exemplis videtur, de quibus puto me aut ea quae Lachmannus et Kirchhoffius dixerunt confirmare aut nova quamvis parva sint afferre posse. in rhaps. igitur

Γ vs. 191 et vs. 225

Homerica nota non est impressa; nam Priamus cum Helena ei dixerit v. 178, Agamemnonem esse quem sit admiratus vs. 166 squ., inde a vs. 182 beatum praedicat ducem Achaeorum; finis verborum quae senex facit est vs. 190: pergit vero poëta

δεύτερον αὖτ' Ὀδυσῆα ἰδὼν ἐρέειν' ὁ γεραιός·
εἴπ' ἄγε μοι καὶ τόνδε, φίλον τέκος, ὅστις ὅδ' ἐστίν.

non igitur adduntur verba quae ad senis orationem vs. 182—190 spectent; nam δεύτερον αὖτε pertinet ad Agamemnonem, quem primum admiratus est Priamus vs. 166 squ. tamen nolo hunc locum urgere; nam cum

duae istae Priami orationes uno quasi filo coniungantur atque continuentur vs. 182—190 et vs. 192—198, hunc quidem locum non reprehendo; neque enim quidquam contra eum dicere poteris qui hoc exemplum eis versibus tribuendum esse putet quos supra tractavi. cf. quae p. 39 squ. de vs. Δ 232—249 dixi. alter vero locus qui est

vs. Γ 235

nihil habet quo defendi possit. confectis enim Antenoris verbis quae sunt a vs. 204 usque ad vs. 224 poëta subicit vs. 225:

τὸ τρίτον αὖτ' Αἴαντα ἰδὼν ἐρέειν' ὁ γεραιός·
τίς τ' ἄρ' ὅδ' ἄλλος Ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε ....

hoc igitur in versu nullum verbum respicit ad orationem quae antecedit: neque ea est Priami sed Antenoris. quare fieri non potest, quin hunc locum accusem atque ex illo quaedam ad Lachmanni quaestiones quas instituit de rhaps. Γ p. 14—17 addenda esse putem[1]).

Venio nunc ad alterum locum tractandum, quem idem Lachmannus iam expedivit: qui est

vs. Ξ 109.

nam confectam Agamemnonis orationem vs. 104—108 sequitur vs. 109

[1]) ceterum Lachmanni causae cur *τειχοσκοπία* sit spuria habenda possunt augeri; unum addo, quod nondum invenio allatum: Helenam certiorem facit Iris Γ vs. 121 Alexandrum unum congressurum esse cum Menelao vs. 136; tum Helena turrim ascendit neque vero quidquam huius rei gravissimae Priamo nuntiat. tamen erunt fortasse qui hoc laudi non vitio esse Homero vertendum putent; contra quos nihil dico.

τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης·
ἐγγὺς ἀνὴρ — οὐ δηθὰ ματεύσομεν — αἴκ' ἐθέ-
λητε . . . .

de omnibus vero versibus qui sunt Ξ 27—152 Lachmannus p. 58 ita disputavit, ut mihi quidem persuasum sit, versus istos esse interpositos. cf. tamen quae supra p. 44 de vs. λ 342 et vs. σ 405 dixi.

Tum eis exemplis quae notam spuriam ferre puto eum locum tribuo vel eos locos si cui placet qui vs.

α 360 et φ 354

leguntur. Telemachi enim verba quae sunt α 346—59 et φ 344—53 sequuntur versus hi:

ἡ μὲν (Penelopa) θαμβήσασα πάλιν οἶκόνδε βεβήκει·
παιδὸς γὰρ μῦθον πεπνυμένον ἔνθετο θυμῷ·

utrumque locum contra Homeri consuetudinem pugnare apparet; itaque gaudeo, de priore versu satis iudicasse Kirchhoffium, qui prior. libr. p. 128 squ. atque praef. p. VIII. n. 1. vs. α 88—444 centonem esse iudicavit; doleo, quod idem vir doctissimus vs. φ 354 omisit: quem locum ut expedirem mihi non contigit. tamen iuvat me de Homeri genere dicendi disputantem versus quidam, qui in codd. Vindob. et Venet. quodam invenitur inter vs. φ 353 et 54 qui est

ὣς φάτο, ῥίγησεν δὲ περίφρων Πηνελόπεια.

nam nullam puto ob aliam causam grammaticus quidam istum versum interposuit quam quia hiare orationem poëtae post vs. 353 intellexit vel sensit. Kirchhoffius igitur p. 104 dixit, se illum versum recepturum fuisse quamquam pauci codices eum traderent nisi post vs. α 360 deesset. atque equidem concedo, istam ob

causam versum illum recte reiectum esse; tamen vereor, ut recipiendus esset etiamsi idem codd. Vindob. et Ven. eundem post vs. *α* 360 haberent. displiceret enim mihi illud *ῥίγησε* quod cum eis quae Telemachus vs. *α* 346—59 dicit mihi non videretur consentire; contra recte positum est idem verbum in vs. *Γ* 259 qui est

ὣς φάτο, ῥίγησεν δ' ὁ γέρων . . .

nam Idaeus nuntiaverat Alexandrum unum uno a Menelao provocatum esse: atque eo minus placeret mihi istud *ῥίγησε*, quod si versum istum reciperes hunc sensum efficeres: *ῥίγησεν δὲ Πηνελόπεια, θαμβήσασα βεβήκειν.* illud vero *θαμβεῖν* cum quantum absistat a verbo quod est *ῥιγεῖν* non sit obscurum, non recte puto Homerum priore loco gravius vocabulum, posteriore levius positurum fuisse. sed hoc nihil sane ad rem; istud quaeritur, quid de loco altero qui est *φ* 354 iudicandum sit. atque equidem puto etiam istam partem in qua vs. *φ* 354 est spuriam esse; tamen cum certis argumentis illam sententiam neque possim probare neque si possem mihi liceret latius vagari, nunc quidem locum istum in medio relinquo.

Dicam nunc de loco quodam qui difficillimus mihi videtur esse; quinque enim versus inde a vs.

κ 475

sunt, quos plerique qui Homeri Odysseam ediderunt delendos iudicaverunt esse. nam Ulixem socii monent ut reditum paret vs. 472—74 pergitque poëta:

v. 475.

ὣς ἔφαν, αὐτὰρ ἔμοι γ' ἐπεπείθετο θυμὸς ἀγήνωρ.

ὣς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα
ἥμεθα, δαινύμενοι κρέα τ' ἄσπετα καὶ μέθυ ἡδύ·
ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθεν
οἳ μὲν κοιμήσαντο κατὰ μέγαρα σκιόεντα.

versus igitur istos 475—79 plerique editores delent, quia neque a scholiast. commemorentur et a cod. Vind. quodam omittantur, Harleianus vero codex eosdem in margine habeat. itaque fit, ut vs. 474 qui concludit sociorum verba:

οἶκον ἐϋκτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν

statim sequatur vs. 480 squ.:

αὐτὰρ ἐγὼ Κίρκης ἐπιβὰς περικαλλέος εὐνῆς
γούνων ἐλλιτάνευσα, θεὰ δέ μευ ἔκλυεν αὐδῆς.

Kirchhoffius igitur in prior. libr. p. 227 haec verba apponit: vs. 475—79 fehlen in einigen handschriften oder stehen am rande, sind aber nicht zu entbehren. videndum igitur est, quid sit de istis versibus iudicandum. atque primum quidem illud Kirchhoffio concedendum esse apparet, vs. 475—9 omissis hiare orationem, non solum quod Ulixes noctu cum Circe colloquitur cf. v. 541, sed etiam, quod verba quae sociorum verba comprehendant omittuntur. at vereor, ne oratio, etiamsi isti versus retineantur, recto ac sano ordine non procedat. nam vs. 476 verba quae sunt *ὣς ἥμεθα δαινύμενοι* displicent; antea enim vs. 469 cibum esse paratum poëta non narravit. vs. 475—79 etiam in aliis Odysseae partibus inveniuntur; nam vs. 475 = 406. cf. *μ* 27. *κ* 466. vs. 476—78 = *κ* 184—86 = *ι* 556—58 = *μ* 28—31. adde denique, quod codices vs. 475—9 genuinos esse non valde confirmant: itaque

mihi videor a Kirchhoffio discedere posse atque eis assentiri, qui istos versus deleri iusserunt. tamen quid est de orationis hiatu iudicandum? nam fenestra quanta intersit inter vs. 474 et 480 facile perspici potest. atque equidem sic puto, grammaticum quendam orationem hiare sensisse sentientemque lacunam vs. 475—9 explere voluisse; oratio vero ipsa ut hiaret is effecit, qui poëtae verba Ulixi tradidit narranda. cf. Kirchhoff Comp. Od. p. 117.

Sed quoniam orationis modus est adhibendus ad res tales quaerendas, redeo ad eos locos qui restant tractandos. versus igitur qui sunt

μ 374 et 389

ab Homeri consuetudine alieni sunt. vs. 371—73 enim Ulixes socios boves Solis mactasse queritur:

Ζεῦ πάτερ ἠδ' ἄλλοι μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
ἦ με μάλ' εἰς ἄτην κοιμήσατε νηλεϊ ὕπνῳ·
οἱ δ' ἕταροι μέγα ἔργον ἐμητίσαντο μένοντες.

sequitur tum nudus vs. 374

ὠκέα δ' Ἠελίῳ Ὑπερίονι ἄγγελος ἦλθεν

Sol igitur a Jove petit vs. 377—383, ut socios Ulixis ulciscatur Juppiterque se obsecuturum esse promittit vs. 385—88

Ἠέλι', ἤτοι μὲν σὺ μετ' ἀθανάτοισι φάεινε
καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν·
τῶν δέ κ' ἐγὼ τάχα νῆα θοὴν ἀργῆτι κεραυνῷ
τυτθὰ βαλὼν κεάσαιμι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

Ulixes vero qui has narrat res pergit:

ταῦτα δ' ἐγὼν ἤκουσα Καλυψοῦς ἠυκόμοιο·

4*

ἣ δ' ἔφη Ἑρμείαο διακτόρου αὐτὴ ἀκοῦσαι[1]).
et vs. 374 igitur et vs. 389 apparet ab Homeri more

---

[1]) vs. 390 dissentire ab eis quae Homerus ipse narrat Aristarchus intellexit; Mercurium enim venisse quidem vs. ε 43 squ. Calypsus domum, at ex vs. ε 88

πάρος γε μὲν οὔτι θαμέζεις

apparere, eum antea Calypso non vidisse: iam vero cum vs. ε 97 squ. Mercurius non narravisset ea, quae Ulixes eum faceret narrantem vs. μ 388 et 389, negari non posse vs. ε 88 squ. abhorrere a vs. μ 390. cf. schol. ε 79. neque Aristarchus vituperatus est a viris doctis: quamquam Nitzschius ad vs. μ 389 Aristarcho non obsequitur neque vero causas affert quibus Aristarchi sententiam refellere possit; Nutzhornius vero ex ipso verbo *θαμίζειν* vs. ε 88 apparere putat Mercurium saepius Calypso adiisse: videtur igitur is, qui immodeste omnes homines Germanos stringat ne inspexisse quidem schol. Homer. nam quid sit *θαμίζειν* scholia docent ad vs. ε 88. θ 451. Σ 386. 425. eadem litotete usus est Homerus vs. N 284:

τοῦ δ' ἀγαθοῦ (scil. in insidiis collocati) *οὔτ' ἄρ' τρέπεται χρὼς οὔτε τι λίην — ταρβεῖ:* fortis enim vir omnino non timet. et κ 305.

μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

dei enim herbam istam *μῶλυ* nominant; quod ei nomen indiderint homines non dicit Homerus neque re vera dicere potest: nam hominibus herbam illam effodere non solum *χαλεπόν*, sed etiam *ἀδύνατον* est. atque hoc voluisse poëtam exprimere quod iam schol. ad h. l. explicat neque vero id quod vult Nitzschius (es ist gefährlich und todtbringend, dieses kraut zu graben) et ex Homeri genere dicendi apparet et ex vs. qui sequitur 306:

ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

dei igitur possunt herbam illam effodere, non possunt homines. etiam vulgarem denique sermonem Graecorum litotetis quibusdam formis usum esse schol. ad Σ 386 quod supra attuli commemorat.

abhorrere; desunt enim verba, quae et Ulixis et Jovis orationem notent. at equidem de istis verbis nihil possum novi dicere postquam satis dixit Kirchhoffius in Mus. Rhenan. XV. tom. p. 62 et Comp. Odyss. p. 107 squ. illud vero praeterire nolo, Kirchhoffium idem atque me de tota hac re quam tractavi iudicasse, cum p. 112 Comp. Odyss. scriberet: statt dessen unterbricht er des erzählers bericht mitten auf dessen gang zum schiffe in einer obendrein, wie jeder unbefangene zugeben wird, auch formell höchst abgerissenen weise. cf. eundem, quomodo p. 116 l. l. Homeri verba qualia tradita sunt restituerit.

Restat, ut

vs. τ 413

inspiciamus. Autolyci enim verbis vs. 406—12 subiectus est vs.

τῶν ἕνεκ' ἦλθ' Ὀδυσεὺς, ἵνα οἱ πόροι ἀγλαὰ δῶρα.

verbaque quae istam orationem comprehendant desiderantur. neque enim versibus qui sequuntur

τὸν μὲν ἄρ' Αὐτόλυκός τε καὶ υἱέες Αὐτολύκοιο
χερσὶν ἠσπάζοντο ἔπεσσί τε μειλιχίοισιν.

desiderium expleri apparet. at etiam hunc locum Kirchhoffius mihi expedivit, qui prior. libr. p. 289 vs. qui sunt τ 394—465 eicit atque cur eiecerit hunc locum praef. p. XIII. n. 3. explicat.

Haec habui, quae de dicendi genere Homerique formulis loquendi dicerem; atque ut extremum aliquid habeat commentatio mea, illud puto ex eis quae dixi apparere Homerum non solum certas dicendi rationes usurpare quas nusquam neglegat sed etiam istis poëtae

rationibus in luce positis atque tractatis aliquid ad Homericam quaestionem quae dicitur afferri utile; eis vero quae expediri non possunt talis Homeri tractandi rationis auctoritas neque minuitur neque tollitur, sed unum demonstratur quam difficile sit in genuinas Iliadis Odysseaeque partes inquirere.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Hom. rhaps. Δ vs. 440—45 delendos esse puto.

II. Xenoph. de rep. Ath. c. II. paragr. 12 inter verba quae sunt *οὐδεμία πόλις* et *δύο* est inserendum *οὐδὲ.*

III. Plaut. Menaechm. I 2, 24 pro damnum quod traditum est lego dominam. Brixius amicam.

IV. Eurip. versus quos affert Hermog. Rhet. III. p. 180 (cf. Dindorf Poët. Scen. Graec. ed. V. fragm. Eurip. n. 922 et 451) contendo transtulisse Ovidium Metam. l. IV. vs. 584.

V. Eurip. Hecub. inde a vs. 1035 usque ad vs. 1038 ed. Nauck. (1013—16 ed. Kirchhoff. I, 1006—9 ed. Hermann.) poëta rerum narrandarum ordinem neglexit.

VI. idem neglegenter posuit Orest. v. 1520 et 21. ed. Nauck. (1528, 29 ed. Kirchhoff. I, 1523—24 ed. Hermann.)

VII. Cic. de Fin. l. IV. cap. 20. paragr. 56 pro aptae habiles est scribendum optabiles.

VIII. Cic. de Fin. l. II. c. 6. p. 17 est ponendum Stoici; qui . . .

VITA.

Carolus Lehmann Wriezenensis natus sum d. XXX. m. Nov. a. h. s. LII patre Guilelmo matre Augusta e gente Ganschowiana. fidem sequor evangelicam. prima litterarum elementa in schola communi patriae edoctus a. h. s. LXIV in scholam quae dicitur realem me contuli, ubi imprimis Oscarii Jaenickii ante hos sedecim menses suis erepti exemplo et doctrina usus sum. ab eodem Jaenickio postquam rudimenta linguae Graecae per biennium accepi, a. h. s. LXVII gymnasium Berolinense adii, quod usque ad auctumnum a. LXXI frequentavi Hermanno Bonitzio maxime deditus. deinde maturitatis testimonio instructus inter cives universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis receptus sum, ubi per septies sex menses scholas adii horum virorum illustrissimorum: Bonitzii, Droysenii, Ebelii, Harmsii, Hauptii, Huebneri, Kirchhoffii, Mommsenii, Muellenhoffii, Mullachii, Steinthalii, Vahlenii, Weberi. in seminario philologo Hauptii Huebneri Kirchhoffii Vahlenii doctrina per quinquies sex menses fructus sum. praeterea Bonitzius ad Aristotelicas, Kirchhoffius ad Graecas, Muellenhoffius ad Theodiscas exercitationes aditum mihi benigne permiserunt; quibus viris omnibus debitas hic ago gratias.

